

fructum atque facultatem administrandi arrogator jus consequatur nullum. §. 2. I. d. t. neque jure novo per hunc acquirendi modum servitutes vel actiones, quas vel arrogans vel arrogatus habet, confundi poterunt.

XXVII.

Prædictis modis alius novus accessit successionis casus ex constitutione Divi Marci, nim. **addictio bonorum libertatum conservandarum causa**, cui occasionem dedit maximus libertatis favor. t. t. *Inst. de eo, cui libert. caus. bon. addic.* Verum cum illius apud nos sublata servitute nullus sit usus, frustra disputamus, an & quando servitum vel obligationum confusionem operetur.

XXVIII.

Quintus denique & ultimus per universitatem succedendi modus est, quando universitas bonorum propter delictum aliquod enorme publicatur, vel si fiscus bona defuncti, qui nullum ex qualibet sanguinis linea vel juris titulo legitimum successorem intestatus reliquit, quæ etiam bona vacantia, erblose Güter vocantur: jure superioritatis atque regalium occupat. l. 4. C. d. bon. vacant. quia enim quoad effectum heredis loco habetur, ita ut post agnitionem & in corpus ærarii publici bonorum redactionem in eum jura antecessoris aëtiva & passiva transeant. l. 9. §. 6. ff. d. tut. & rat. distrah. l. 3. §. 5. l. 17. §. 5. ff. ad SCt. Trebell. l. 6. ff. d. Iur. Fisc. l. 31. pr. ff. l. 2. C. Sol. matrim. l. 1. C. d. Fidejuss. l. 2. C. ad L. Iul. de vi publ. & priv. l. 5. C. d. bon. proscript. Gail. 2. obs. 86. n. 6. parique iure fiscus in his bonis utatur, quo usurpus erat is, cui successit. l. 3. §. 7. l. 6. pr. ff. d. Iur. Fisc. confusio quoq; inducitur, si utriusq; & Creditoris & debitoris bona prædictis ex causis ad Fiscum devolvuntur. l. 71. pr. ff. d. fidejuss. l. 2. C. d. Solut. Barnab. Briss. d. tit. de confus. Quod si tamen bona in diversis sita sint territoriis, proindeque a diversis dominis (non enim capit Fiscus unius territorii bona in alio territorio existentia, vid. Card. Tuschus. lit. F. concl. 392. n. 3. & seqq. Sebast. Guazzin. tr. de confiscat. bonor. concl. 13. limit. 16.) jus Fisci

4. Addictio
bonorum li-
bertatū con-
servandarū
causa.

5. Devolutio
bonorum
ad Fiscum.

C 2 haben-